



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

11. Viduarum apud Ethnicos honor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Luc. 2. 36.

1. Cor. 7. 8.

S. Ambros. l. 3
de velandis
Virg.

Loc. cit.

XI.

Epist. Indic.
Anno 1566.P. Alexand.
Valig. in lit-
teris Anni
1588.Iacobus Rz-
nardus lib. 1.

capit, sed indulget, & pro remedio peccati offert nuptias. Si omnibus præciperet, damnaret vtrique iuniores viduas omnes, quæ sponte sua, magna animi constantia, in cœlibatu ac viduitate permanere decreuerunt. At hoc si faceret, damnaret Annam prophetissam, quæ postquam vixit cum viro suo tantum septem annis à virginitate sua, vsque ad annum octogesimum quartum vidua permansit: damnaret seipsum, qui alibi hæc habet: *Dico non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego.* Damnaret multò magis, quàm viduas, virgines illas, seu non nuptas, quæ, quia *bonum est illis sic esse*, mente castissima vitam Angelicam viuunt, Christum omnibus votis anteferentes. Gratia diuina, orationes, jeiunia, fuga illecebrarum multum possunt, itemque magistri spirituales, quales ipsi Apostoli fuerunt, multis virginibus Deo consecratis. *Non mireris in adolescentulis professionem, cum leges in paruulis passionem; & de his scriptum est: Adolescentula dilexerunt te nimis.* Quando itaque Apostolus ait: *Volo iuniores nubere*, intelligit moribus, non annis iuniores. *Non ergo atas reijcitur florentior*, ait S. Ambrosius, *ubi morum est senectus. Theclam non senectus, sed virtus probauit.*

Quanquam igitur & licitum, & vtile est incontinentibus viduis remedium nubere, licitum tamen est, & honestum, in viduitate casta permanere. Quod multæ fecerunt mulieres Ethnicorum, amore solo mariti primi, cui similem secundum se inuenturas desperauerunt: quarum nonnullas supra memorauimus. Goenses viduæ adhuc Ethnicæ, primo marito extincto, quantumuis iuuentulæ, non solum alteri non nubebant, sed etiam, cum marito cremandæ in ardentem rogam sponte insiliebant. Quod nunc edicto regio vetitum est. Et iam vbi Christianæ factæ, si cui coniunx moritur, coloris candidi vestitu abstinet, & caput perpetuò radit. P. Alexander Valignanus refert, à Sinesibus eam mulierem in honore haberi, quæ viduitatem colens secundum maritum non admittit. Quare, vt olim Vestalibus Romani, ita & his viduis Sineses Mandarini multas libertates, & priuilegia concedunt, magnificaque præmia largiuntur. Apud Romanos, è Plutarcho alijque constat,

constat, menses decem (tot enim Romuli annus habebat) viros ab vxoribus viduis lūgeri consueuisse, ita quidem, vt ante legitimum tempus luctus nubere nemini possent, nisi id peculiariter à Magistratu, aut Principe impetrassent. Quam potestatem si non impetrassent, & tamen nubere, infames à Præatore fiebant, & multabantur. Itaque vidua cælebs plerumque manere volens nolens debebat, donec eluxisset. Hoc enim verbo utebantur. Quin & multæ veritæ sunt, ne longè acquirent deteriores. Et quia

Sape etiam est stultus non importuna locutus,

non ineptè quidam albæ mentis homo, cùm vidua quædam plangeret mortem mariti, ac diceret, *Se permodicè ab eo fuisse verberatam*, respondit, *Accipe igitur alium virum, qui crebrius acriusq; percutiendo compenset, quod à priore fuit neglectum.* Et fit profectò sæpe, vt secundus coniunx vxorem tundat, non secus ac faber incudem; vt quæ corpus suum ipsa flagellis non castigat, vel ab his ictibus remedium habeat castitatis.

Omnium autem præstantissima causa est viduitatis amanda Christi amor, & maior occasio virtutis exercendæ, Deoque seruiendi. Hac de causa nobilissima illa potentissimaque vidua Euphrasia Romana, quæ, coniuge è viuis erepto, tametsi florentissima esset ætate, & verè inter adolescentiores numeranda, atque insuper ab ipso Imperatore ad secundas nuptias omnibus machinis impelleretur, omnibus rebus ab se abdicatis, ex Italia in Thebaidem, Româ in eremum, ex amplissima aula in modicæ cellæ angustias; de coniugijs ad ieiunia, de purpura ad cilicium, denique de delicijs ad quotidianam mortificationem gaudens secessit, ibique, vt inter sanctos sanctè vixit, ita & morte Sanctorum defuncta ad cælestes nuptias migravit. De Marcella Romana vidua iidem sanguine & virtute nobilissima, memorat D. Hieronymus, eam, septimo, post celebratas nuptias, mense, viro suo priuatam esse. Erat autem in ea non solum notissimi stemmatis antiquitas, ac morum incredibilis temperantia, sed etiam vegeta ætas, & corporis illecebrosissima venustas. Ob quas tam eximias dotes illam Cerealis Romanus Consul profusissima ambitione in matrimonium

Cccc

petebat.

Varior. c. 20.
Iac. Cuiacius
l. 6. obseruat.
cap. 31.

XII.

S. Hieronym.
in Epitaphio
Marcellæ.